


LVNÆ DIE 20 M. DECEMBERIS A. 2010

A.d. XIII Kal. Ianuarias a. MMXI

I 59

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P701451



## DE ITINERE TVNETANO (II) (18-25 IX 2010)

- narrat Francisca Deraedt -

**I**uxta viam hic illic conspiciuntur reliquiæ ingentis aquæductus, quo Carthago olim alebatur. Apud fornices antiquos feminas miramur vestes lavantes urnasve domum reportantes, cum nonnullis locis aqua inde adhuc fluat. Aliquis interrogat num aqua in domibus careant. « Habent, certe, respondet mystagogus, in omnibus domibus. Sed minoris constat gratuitam accipere ! »

Thuburbo Maius, urbs a Berberis olim culta, veteranorum colonia ab Augusto condita, tempore imperatoris Commodi vocabatur Colonia Julia Aurelia Commoda. Postquam diu magna fructa est prosperitate, cuius vestigia supersunt visu digna, exeunte tertio sæculo subito ita decrevit ut tantum mille superessent incolæ ; at postea, tempore Constantii, iterum ædifica est et mutato nomine pulchre vocata est Res Publica Felix Thuburbo Maius.



*Thuburbo Maius : peristylum domus Neptuni.*

Inde petimus oppidum *Zaghouan*, loco antiquæ Ziquæ ædificatum. In urbe solus superest arcus triumphalis, et paulo longius, in iucundo viridario, nymphœum tempore Hadriani exstructum. Nostris etiam temporibus regio clara est aquarum puritate : non solum Tunetani, sed etiam Arabes eius balneis alliciuntur.

*Martis die.*

Hodiernam excursionem, quæ nos ad medium Tunesiam ducet, ineo exspectatione plena : nonne enim nomen *Kairouan* excitat somnia ? Memoriæ adhærent verba notissimæ cuiusdam cantilenæ :

*J'aimerais tant voir Syracuse,  
L'île de Pâques et Kairouan  
Et les grands oiseaux qui s'amusent  
À glisser l'aile sous le vent...*



*Zaghouan : Hadriani nymphœum.*

Mythicam tamen urbem non statim videre licebit, nam iuxta transimus alia loca imprimis visuri.

Quo magis ad meridiem tendimus, eo magis mutatur feminarum habitus. In hac regione mulieres vestes gerunt diversimode coloratas, sed longas, ac pæne omnes sunt velatae. Miror differentiam inter ipsas et iuvenem quam nudius tertius Tuneti vidi ad autocineti gubernaculum, humeris nudis, vestitam ingenti perspicillo solari, gunna autem minima.

Ecce ante nos e nubibus surgit mons Atlas. Transimus hodiernam urbem *Sbeitla*, quæ 260 chilometris abest ab urbe capite ad meridiem et occidentem versus, et pervenimus ad antiquam Sufetulam. Hæc urbs, militaris cum esset, militari modo a Romanis est munita. Eius tamen historia parum nota est. Neque tota est effossa : area enim archæologica viginti fere hectareas est ampla, cum antiqua urbs quinquaginta numeraverit.



*Sufetula : Trias Capitolina.*

Ad orientem nunc tendimus, ubi alia miracula nos exspectant, imprimis *Kairouan*, quarta religionis islamicæ urbs sacra, cuius nomen significat « castra ». Fuerunt enim hic septimo saeculo castra ab Arabibus condita, cum occupationem susciperent primum Africæ septentrionalis, deinde Hispaniæ et Siciliæ. *Kairouan* statim duplum habuit provinciam, cum pertineret ad bellum non solum militare, sed etiam sanctum.

In urbe vivunt centum milia incolarum, in tota regione quadringenta milia : itaque tres incolarum partes ruri versantur. Sive ea de causa, sive urbis sanctæ afflatu, homines in hac Numidiæ parte magis pii sunt quam alibi et multum colunt prophetæ amicum cui nomen fuit Abou Zamaa al-Balaoui. Eius mausoleum, septimo decimo saeculo exstructum, eo vocatur « mausoleum tonsoris », quod ille vir dicitur tres pilos de barba prophetæ religiose servavisse.

Occasione huius lustrationis mystagogus in ræda multa loquitur de mahometana religione. Præses Bourguiba, cum Tunesiam facere vellet laicam rem publicam, pæne omnia valuit ita mutare ut leges a religione non iam penderent, præter hoc unum : heredium, traditis moribus nimis coniunctum. Adhuc ergo, patre mortuo, filii heredium accipiunt duplo maius quam filiæ, eo fine ut divitiæ sub eodem familiae nomine maneant.

Paulatim appropinquamus. Regio magis fit deserta, stirpes rariores. Hic præcipue colitur ars tapetis : feminae complures menses incumbunt in texendum unum tapete, quod postea, antequam venum detur, inspectores æstiment severissime, nam e lana pendet tota regionis vita.

Luxta viam adspiciuntur lanionum tabernæ, in quibus proponitur caro dromadis. Prope sedent nonnulli iuvenes dromades, facie satis morosa, fatum suum expectantes. Hic pueri ueste uniformi induiti scholam petunt ; illic vir agrum colit antiquo aratro, quod trahit equus defessus.

Ecce tandem adsumus. Ad urbis portam præses Zine el-Abidine Ben Ali, in ingenti imagine, populum paterne salutat. Vicus medius (*medina*) inscriptus est in



*Præses Ben Ali populum suum ubique aut salutat, aut custodit – iudicent singuli.*



*Kairouan : meschita.*

indice patrimonii orbis terrarum (*Unesco*) ; ut verum confitear, viæ sordibus plenæ mihi parum congruere videntur cum modernis Tunetani gubernii conatibus.

Magna meschita est clarissimum et antiquissimum monumentum islamicum totius Africæ septentrionalis. Plures insunt columnæ antiquæ, præsertim Sufetula et Carthagine allatae, quam in ullo museo. Hæc meschita aliquid habet austerioris et nobilitatis, quod cor movet. Mystagogus dicit eam esse imaginem religionis puræ et simplicis. Nobis autem non mahometanis non licet cœcum precibus dicatum intrare. Deo gratias ! Evidem talia multum timeo e tempore quo, Syriam lustrans, longissimam stolam induere debui, quæ non solum totum corpus a primo capillo usque ad ultimum pedis digitum tegeret, sed etiam veterem pulverem alienumque sudorem fortiter oleret...

Perfecta hac lustratione, prandium nondum habuimus. Hoc faciemus Thysdri (*El Djem*), loco mirabili quem spectans tibi videris Romæ esse ante amphitheatum Flavium. Thysdrus urbs fuit ditissima, cuius tota fortuna ab oliva pendebat. Itaque in museo tam pulchra ostenduntur opera musiva, quam in museo de Bardo.

Oliva adhuc facit Tunesiæ fortunam : ibi enim numerantur fere 70 miliones olivarum – quas ipsa non numeravi, oportebit ergo mystagogo credere hunc numerum proferenti. Idem etiam asseverat olivæ folia esse manducanda, si gingivas purgare vis. Fructus manu colliguntur, ne lædantur arboris radices ; quæ



*El Djem : amphitheatrum.*

usque decem metra, non solum in profundum, sed etiam circum circa, extenduntur. Operarius salarium accipit dimidiam perceptionis partem : id est ipsas olivas, quas postea curabit vendendas.

In raeda colloquium interrumptur telephoni sonitu : vocat mystagogi filia. Quæstio est de penso scholari : puella rogatur ut Anglo scripto vitam narrat cuiuslibet, patremque rogat quem hominem suadeat describendum. « Elige præsidem Bourguiba ! » respondebat mystagogus. At ea : « Oh, non, præfero Céline Dion. » Mystagogus telephonum reponit dicens : « Sic sunt iuvenes : patriam non iam colunt. »

*Mercurii die.*

Mactaris hodie nobis ostenditur, quæ urbs, olim limes Berberorum territorii, sita est altitudine nongentorum metrorum. Hic non pauca sunt vestigia temporis ante Romanos acti : ædificia megalithica, inter alia, quæ fuerunt ingens et communis sepultura, forum Numidicum et templum Punicum. Medio in vico moderno stat mausoleum Romanum, quod nostro sensu lauti potuit exhiberi ; sed usque ad hanc longinquam regionem non facile pervenit pecunia publica. Visu etiam digna est Schola Iuvenum, quæ videtur fuisse institutum paramilitare necnon aliquatenus pertinuisse ad vectigalia exercenda.



*Mactaris :*  
*mausoleum Romanum.*

Prandiolo subdivali in horto musei sumpto, tamquam novi Scipiones proficiscimur ad locum præliai Zamensis. Ibi, medio agro lutoso, stant reliquiæ veteris monumenti, de cuius origine archæologi disputant : hic commemorari dicunt, alii victoriam a Scipione de Hannibale anno 202 latam, quod verisimile non videatur, alii Numidiæ adiectionem, postquam Cæsar regem Iubam vicit apud Thapsum (a. 46).

*Iovis die.*

Bulla Regia : hoc nomen habet nescio quid, quod mentem excitat. Urbs quam hodie lustrabimus videtur



*Zama : monumentum incertæ originis.*

esse levis ut bulla, nobilis ut regina, et insuper, ut audivi, est subterranea. Inde multæ fabulæ excogitari possunt...

Hæc civitas longinas habet origines : sedes fuit Berberorum, postea regis Masinissæ (inde epitheton « Regia ») antequam a Romanis est occupata. Præter thermas, theatrum aliaque ædificia quæ in omnibus urbibus antiquis conspici solent, hoc præbet singulare, quod domus tabulatum habent subterraneum, ubi calidis temporibus iucundius vivitur aestu temperato. Nomen habent « domus Thesauri », « domus Amphitrites », « domus Venationis » et ita porro, ob statuas, opera musiva aliasve res ibidem inventas, quæ sive ipso loco servantur, sive in museo de Bardo.



*Bulla Regia :*  
*domus Amphitrites.*

Transimus per urbem Béja, cuius nomen antiquum fuit Vaga, etiam « urbem ciconiarum » vocatam, in qua pauca supersunt Romanorum vestigia. In urbis aditu est campus militaris : in Tunisia iuvenibus imponitur unius anni militia, qua si quis fungi non vult ita liberari potest : sufficit unum mensem in castris manere et per ceteros undecim menses rei publicæ solvere salarii septuaginta centesimas partes – quod non est nihil.

In omnibus urbibus magnæ viæ nomen acceperunt « Boulevard de l'Environnement », « Boulevard de la Qualité de la Vie », aliaque eiusdem farinæ : rectores

enim rei publicæ populum conantur adducere ut circumiecta diligentius respiciat. Consuetudines autem haud facile mutantur. Ante paucos annos, narrat mystagogus noster, singulis familiis distributa sunt vasa plastica, quibus purgamenta possent secundum genus seiunctim proicere. Tribus mensibus post facta est huius novitatis inspectio, et compertum est plerasque familias his vasis usas esse... tamquam receptaculis grani *couscous*.

Huiusmodi colloquia iter faciunt minus longum. Pervenimus nunc Simitthum (*Chemtou*), ad regionem marmore antiquitus clarissimam : marmor enim Numidicum a Romanis plurimum aestimabatur. Re vera ipsa area archaeologica est valde sparsa. In parvo museo ostenduntur varia marmoris genera, molina et tituli sepulcrales.

E longinquo mox videmus, 47 tantum chiliometris ab Algeriæ limite, arcem oppidi *El Kef*, cuius nomen, *Kef*, significat « rupem ». Mirum in modum antiquum huius oppidi nomen fuit Sicca Venerea, cuius fama, si Valerio Maximo credimus, satis mala fuit : « Siccae enim fanum est Veneris, in quod se matronæ [sc. Punicæ] conferebant atque inde procedentes ad quæstum dotis corporis iniuria contrahebant, honesta nimurum tam in honesto vinculo coniugia iuncturæ. » (II, 6, 15).



*El Kef*: arx.

Et ecce, tamquam si urbs monstrare vellet se prænuptiales ritus servavisse, in aditu mirabilem sequimur pom-pam rædarum, quibus tapetia, alia textilia et supellex transportatur magno bucinorum concentu : est mos apud eos, sponsæ instrumenta sic per vias clamose traducere.

Rædarius nos deponit ad arcem, unde descendemus usque ad pedem collis. Ex hac summitate, unde præbetur prospectus mirificus, facile intellegimus locum semper fuisse strategicum. Arx ipsa non ita pridem fuit carcer, in quo aliquamdiu retentus est Habib Bourguiba ; nunc autem, quia tempora mutantur, est locus festis destinatus. Etiam visu dignum est monumentum alicui sancto, nomine Sidi Bou Makhlof, dicatum, ecclesia sancti Petri (IV sæc.) et ipsæ veteres viæ in quibus iucunda est ambulatio.



*Kerkouane* : opus Signinum cum signo deæ Tanit.

*Veneris die.*

Mirabar quod ultimo itineris nostri die tam longum iter inter pomaria satis tristia imponeretur ad Promuntorium Mercurii (*Cap Bon*), sed fatendum est situm oppidi *Kerkouane*, anno demum 1952 inventum, esse visu dignum. Est enim solum exemplum architecturæ Punicæ, quæ non sit ab aliis postea mutata : oppidum anno 256, tempore primi belli Punici, derelictum est nec postea umquam iterum occupatum. Itaque hic est unicus locus, quo vita Carthaginiensium possit excogitari. Ambulamus inter ædificiorum vestigia, admirantes modum exstruendi vocatum « opus Africanum », pavimentorum ornamenta simplicia, balnea ubique et hic illic signum deæ Tanit.

Tempus est Tunetum redeundi, ubi post prandium in pulcherrima domo media in vetere urbe sumptum, tamquam totius itineris conclusio et fastigium fiet exspectatissima musei de Bardo lustratio. De quo quid dicam ? Opera musiva undique allata ornant muros et pavimenta, ut nescias quo collinees instrumentum photographicum. Museum nunc per partes reficitur ut etiam magnificentius mox exhibeantur hæc omnia.

Secuta est ambulatio urbana, mox iam ultima cena communis, ac postero die aeroplanum iterum consenserdimus domum petituri, fatigati sed oculis mirabilium plenis. ☺



In museo de Bardo : Ulixes.

# DVO LOCI EVANGELII NATALICII IN DVBIUM VOCANDI

– *scripsit Ericus Palmén –*

**A**ppetentibus ultimis septimanis mensis Decembris Amihi in mentem venit de duobus locis Evangelii Natalicii a Luca exarati, quod rursus actuale esse incipit, pauca disserere. Idem argumentum iam abhinc annum in foro colloquiorum Latinorum a Radiophonia Finnica Generali fundato brevius attigi petens, ut ii, qui linguam Graecam et Biblia Sacra melius quam ego nossent, suam de commentatiuncula mea sententiam dicerent; sed eo nullum a quoquam responsum missum est. Multi autem amici et collegæ et Finni et peregrini harum rerum periti adnotationes mihi utilissimas fecerunt, quas diligenter observans et pro quibus gratias agens nunc rem denuo et fusius tractandam suscipio.

Infra igitur non solum in Latinum, sed etiam in Graecum sermonem incumbam, quo Novum Testamentum scriptum est.

Prior e locis supra commemoratis, Ev.Luc.2:14, in plurimis editionibus Græcis Novi Testamenti in hac forma legitur: Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνῃ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ.

Huius elocutionis ultima pars, εἰρήνῃ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ, (Latine pediseque translata: *pax in hominibus benevolentia*), præcipue genetivus εὐδοκίᾳ, diversas interpretationes produxit. Hieronymus hunc genetivum qualitatis ex uno vocabulo constantem et ad substantivum ἀνθρώποις accendentem existimans locum, de quo agitur, ita Latine reddit: *pax in hominibus bona voluntatis* (secundum alios codices sine præpositione *in*). Similem interpretationem etiam in quadam translatione Hispanica Bibliorum repetitam esse inveni: *paz entre los hombres de buena voluntad*.

In generali tamen usu, quod sciam, apud Hispanos sunt Scripturæ sacræ, in quibus idem locus aliter conversus est, scilicet *paz entre los hombres que gozan de su favor*, id est *pax inter homines qui favore eius gaudent*. Hæc translatio ab interpretatione Hieronymiana plane differens alibi quoque magis quam illa videtur canonizata esse; e.g. in Bibliis Italicis legitur: *pace... fra gli uomini ch' Egli gradisce*, et in versionibus Finnicis adhibita sunt verba, quæ Latine ita reddiderim: *pax inter homines, erga quos Deus bonam voluntatem babet* et *pax inter homines, qui Deo placuerunt*. Nec tamen abest suspicio, quin interpretes dictum genetivum εὐδοκίᾳ in translationibus ita diversis modis semantice amplificantes in hunc locum aliquid ab originali textu alienum attulerint. Talia enim verba attenti lectores facile limitative accipere possunt et quærere, cur angeli Deum orent, ut tantummodo hominibus benevolentibus aut iis, quibus ipse faveat,

pacem donet, reliquos videlicet deserens et, quantum velint, inter se litigare et bellare patiens. Tali interpretatione omnino tolleretur id, quod in eodem Evangelio paulo ante (2:10), dictum est, scilicet *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* (Græce: ... παντὶ τῷ λαῷ). Vix credibile est Lucam sincera fide Christiana imbutum talia scribere voluisse.

In quibusdam codicibus tamen hoc loco pro genetivo εὐδοκίᾳ legitur nominativus εὐδοκίᾳ, qui vocabulo εἰρήνῃ asyndetice iuxtapositus una cum eo subiecti vice fungitur et sententiæ, quam examinamus, aliam dat significationem: ... *in terra pax, in hominibus (mutua) benevolentia*. Talis lectio, licet Hieronymo ignota et postea vulgo reiecta esse videatur, totum locum minus ambiguum et faciliorem intellectu reddit. Neque ego unus ita censeo; e.g. Walter Bauer in lexico suo Græco-Theodisco Novi Testamenti commemorat quosdam illo loco nominativum εὐδοκίᾳ genetivo εὐδοκίᾳ veri similiorem existimare (s.v.: « Andere nehmen es unter Bevorzugung der LA εὐδοκίᾳ zu »). Alibi quoque, e.g. in veterima versione Finnica Bibliorum Sacrorum anno 1642 edita, nominativus ab interpretibus genuinus videtur iudicatus esse. Quomodo corruptela fieri potuerit, per se haudquam difficile est intellectu. Nominativus εὐδοκίᾳ, quem præcedit forma ἀνθρώποις in s exiens, incuria librarii textum exscribentis facillime in genetivum εὐδοκίᾳ mutatus esse potest. Id necesse est iam ante Hieronymum factum sit, qui hunc locum Latine reddens manifesto a genetivo εὐδοκίᾳ profectus est.

Illa interpretatio Hieronymiana gravissimum in hoc loco tractando problema efficit. Eius auctoritate videatur factum esse, ut plurimi investigatorum etiam in textu Græco recensendo genetivum εὐδοκίᾳ qui præterea in codicibus ceterum melioribus prævalet, nominativo εὐδοκίᾳ antetulerint, monentes eam esse lectiōnem quam vocant difficiliorem, multoque sæpius lectionem difficiliorem in textu exscribendo in lectionem faciliorem mutari quam vice versa.

Concedamus sane illos viros doctos recte iudicare potuisse. At num æque certum est, Hieronymum, quamvis peritissimum huius argumenti, in hoc loco interpretando non paululum dormitavisse? Utique elocutio ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ semantice et syntactice obscurissima manet. Evidem haud alienum esse censeo experiri, nonne obscuritas et ambiguitas nova interpretatione amoveri possint. Si quis limitative loquatur de hominibus bonæ voluntatis, in Græco sermone expectaverim saltem formam ἀνθρώποις articulo determinativo τοῖς præcedi, ac pariter quæsiverim, num sub dicta elocutione *homines, erga quos Deus bonam voluntatem babet*

*tatem habet aut homines, qui Deo placuerunt*, latere possint.

Quid, si genitivus εὐδοκίας in textu originali profecto genuina est lectio, sed normalem usum suum syntacticum paululum excedens qualitative non ad substantivum ἀνθρώπους, sed potius ad εἰρήνη accedat vel potissimum ad totam elocutionem præcedentem εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις? Tum verba ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας versione Hieronymiana relecta e.g. hunc in modum Latine interpretari possimus : *in terra pax in hominibus benevolentia plena*. Hæc interpretatio, quod ad rem ipsam attinet, haud multum differt ab ea interpretatione, quam supra exposui a nominativo εὐδοκίᾳ proficiscens, persuasumque habeo eam versioni Hieronymianæ præferendam esse.

Alter locus, quem attingere velim, est Luc.2:17 Ἰδόντες δὲ ἐγνώρισαν περὶ τοῦ ρύματος τοῦ λαληθέντος αὐτοῖς περὶ τοῦ παιδίου τούτου, ab Hieronymo ita Latine redditus : *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*. Verba Hieronymi non respondent exacte posterioribus interpretationibus – e.g. versioni Hispanicæ *Al verle se pusieron a contar lo que el angel les había dicho acerca del niño* et versioni Italicae *E vedutolo, divulgaron ciò ch'era loro stato detto di quel bambino*, quæ Latine e.g. ita reddi possunt : *Videntes autem eum referre cœperunt verbum, quod dictum erat illis de puero hoc* et *Videntes autem eum divulgaverunt verbum, quod dictum erat illis de puero hoc*; neque enim *cognoverunt de verbo* Hieronymianum idem significare potest ac *verbum referre cœperunt* aut *verbum divulgaverunt*. Solutio problematis ex originali textu Græco ... ἐγνώρισαν περὶ τοῦ ρύματος... quærenda est. Secundum duo lexica a me consulta (præter lexicon Græco-Theodiscum supra dictum mihi etiam lexicon Græco-Anglicum a Liddel & Scott elaboratum præsto fuit) verbum γνωρίζειν non solum *notum facere* (Theodisce : *bekannt machen*, Anglice *make known*), sed etiam (*re)cognoscere, agnoscerre* (Theodisce : *erkennen*, Anglice *gain knowledge of something, become acquainted with something, discover*) significare potest ; cf. e.g. Epist. Philipp. 1:22 τί αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω = *quid eligam, ignoro*. Posteriores versiones fortasse etiam lectioni aliorum codicum διεγνώρισαν tribuendæ sunt ; verbo enim composito διαγνωρίζειν dicta lexica tantummodo priorem significationum supra dictarum præbent.

Quomodo res ipsæ in hac historia processerint, minime obscurum est. Primum scilicet pastores infantem in præsæpio positum eundem, de quo nato iis nuntiatum erat, puerulum esse intellexerunt ; deinde

etiam ceteris præsentibus de hac re locuti sunt. Id igitur hoc loco quærimus, utram harum rerum Lucas expressis verbis dixerit, alteram tantummodo subaudiendam sive « inter lineas » legendam relinquens – id est : utrum Hieronymus verba originalia recte intellexerit an posteriores translatores eadem exactius interpretati sint. Post participium ἰδόντες (lat. *videntes*) qui vis lector, opinor, exspectaverit ea potius primum exprimi, quæ pastores in mente sua cogitabant, quam ea, quæ circumstantibus dixerunt. Sequens autem enuntiatum (2:18) *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt : et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos postulare videtur*, ut potius eorum, quæ pastores narraverant, mentio explicita præcedat. Ambo argumenta admodum gravia videntur, nec pro certo statuere ausim, utri eorum plus ponderis tribuendum sit.

Utcumque res se habet, si hanc recentiorem interpretationem vulgo acceptam illi veteri anteponimus, simul bonum Hieronymum in Evangelio Natalicio Latine reddendo iterum dormitasse reperimus. ☩



Hieronymus ab Alberto Dürer depictus (a. 1521).

## NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (VI)

- *quod legendum proponit Francisca Deraedt* -

**S**ic transit gloria mundi : Klimius noster, tot et tantis Semensis viis, postquam in civitatem Potu reversus itineris relationem principi obtulit inque gratiam venit non solum illius, sed sic totius etiam populi, iuveniliter gloriabundus efficere valuit ut propriam præcipitaret ruinam. Reus de maiestatis crimine condemnatur exilio. Hæc autem poena etiam, sicut omnia alia in orbe subterraneo, modo fit maxime mirabili : quibusdam magnis avibus alligantur arcæ, in quibus ponuntur damnati ; tum aves avolantes eos auferunt in firmamentum relegandos.

Tali ergo vehiculo per æthera diu agitatus, post volatum viginti quattuor fortasse horarum, Nicolaus molliter deponitur in terra incognita.

« Ingenti mox multitudine simiorum cingor, quorum adspectus metum mihi haud levem incussit, quoniam ab his animantibus, in planeta Nazar, maxime fueram vexatus. Augetur injectus stupor, cum simios hosce sermones serere audirem, cumque versicoloribus induitos vestibus compositisque gradibus incedere conspicerem. Coniiciebam tunc incolas huius terræ esse. At, quoniam in ista rerum, quibus iam dudum insueveram, paradoxarum farragine nihil novum amplius ac insolens videri debuerit, animum resumo, maxime cum viderem simios hos mira urbanitate procedere. »<sup>1</sup>

Cum neminem in his paginis offendere velim, tibi non dicam, bone lector, cuius populi auctor hic iocose finixerit imaginem ; ita adhibeat unusquisque phantasiam, ut Angli Gallos, Galli Italos, Itali Hispanos et ita porro, sicut olim actum est de origine morbi syphilitidis, arguant eos esse, quos Holbergius iudicavit « leves, novitatis avidos, ac loquaces ».

Quidquid id est, advena Martiniam – sic enim est eius nomen – ducitur ad simiorum urbem caput, quæ « magnitudine et incolarum numero Lutetiae haud cedit. » Ibi civium admiratur elegantiam, « maxime vero senatorum uxores, quarum caudæ festis diebus, vix mille thalerorum sumptu, nostræ monetæ, decorari poterant. » Introducitur in Syndici sive magistri urbis palatium :

« Syndicus, aurata sella sublimis, postquam me, cum hospite introeuntem, conspicatus est, in risum immodicum effunditur, ac mox tot stultas et ineptas quæstiones proponit, *ut mibi sudor ad imos manaret talos.*<sup>2</sup> Ad quamvis responsionem *ingeminat tremulos, naso crispante, cachinnos.*<sup>3</sup> Credebam, histrioniam agere, hic inter virtutes poni, cum virum adeo comi-

cum Syndicum sive eum, qui secundum in senatu locum tenet, respublica fecisset, mentemque de ea remox hospiti meo indicabam. At testatur ille virum esse dotibus animi maxime conspicuum. Nam quanta illi esset ingenii vis, patuit e multitudine negotiorum diversæ naturæ, quæ in viridi etiam ætate gesserat. Tanta enim illi perceptionis erat facilitas, ut inter pocula res maximi momenti perageret, immo prandens aut cenans inter quodvis ferculum legem aut edictum scribere soleret. Quærebam tunc, quantæ durationis esse solerent edicta celeriter adeo concepta : regessit ille, vulgo durare, donec visum fuerit senatui eadem rescindere ac antiquare.

« Syndicus, postquam semihoræ spatio mecum fabulatus erat verbaque effuderat ea fere loquacitate, quatonsores nostri Europæi, ad hospitem meum conversus, inter servos, ait, suos me quidem receptum iri, quamvis animadverteret me ob ingenii tarditatem *ver vecum in patria crassoque sub aere natum,*<sup>4</sup> ac proinde ad munus aliquod insigne vix esse idoneum : Ego etiam, ait hospes, notavi insitum illi quandam torporrem ; at, si spatium detur diutius rem perpendendi, haud insulse iudicat. Regessit Syndicus : Hic opus est ministris promptis et expeditis, cum negotiorum multitudo nullam cunctationem patiatur. Hoc dicto, sedulo examinare coepit vires corporis mei, iussitque grave pondus humo tollere : id quod cum absque molestia fecisset, Natura, inquit, quam in dotibus animi nactus est novercam, defectum istum robore corporis quodammodo compensavit. Iubeor deinde paulisper discedere in alium locum, ubi a ministris ac servis mira quidem comitate excipior, at simul nimia eorundem garrulitate ac gesticulationibus misere vexor. De orbe nostro tot mihi fecere quæstiones, ut, quid amplius dicerem in promptu non esset, adeo ut vera falsis miscere tandem coactus, curiositatem tamen eorum satiare nequirem.

« Tandem reversus hospes indicat inter Excellentiaæ suæ aulicos me locum accepisse. E præcedenti Syndici sermone coniicere quodammodo poteram munus istud mihi destinatum non magni ponderis fore. Ominabar aut custodis aulici aut dispensatoris officium mihi conferendum, at, roganti hospitem quodnam istud esset munus, respondet : Excellentia sua gratiosissime te constituit vehiculi sui baiulum primarium cum annuo stipendio viginti quinque stercolatarum<sup>5</sup> (quamvis stercolata Martiniana respondet duobus thaleris nostræ monetæ). Pollicitus est insuper nemini hanc operam te præstirum nisi sibi ipsi, et nobilissimæ coniugi. Hoc responso, tamquam fulmine percussus, pathetice exposui quam indignum hoc esset ingenuo homine et honestis parentibus nato. At loquentem

interruperunt aulici, catervatim currentes ac ineptis gratulationibus seminecem conficientes. »

Miser baccalaureus sortem iterum deplorans somnum ea nocte haud facile capit. At postero mane iam statim officio fungendum est, cum Syndicus in Gymnasium invitatus sit ad aliquam promotionem doctoralem, cuius lectione facere non poteris quin subrideas.

« Vix somno experrectus eram, cum intrat cubiculum cercopithecus quidam, qui se collegam meum profitetur, cum restibus ac cauda fictitia, quam natibus meis applicuit, ut ad figuram aliorum simiorum effingeret ; iubet deinde me paratum esse. (...) »

« Hora decima quarta vehiculum auratum succolantes, ad Gymnasium portamus Excellentiam suam. Intrantes in auditorium, ordine sedentes conspicamur Doctores ac Magistros, quorum quisque prætereunti Syndico assurrexit, ac caudam illi obvertit. Reverentia hoc signum est. Hanc ob causam adeo studiose caudas exornant. Mihi vero stultæ ac ridiculæ visæ salutationes hæ inversæ. Nam tergum alicui obvertere, aut frigoris aut indignationis indicium apud nos est ; at suus cuique genti gustus. Prædicti Doctores ac Magistri ab utroque auditorii latere sedeant. Et in extrema auditorii parte posita erat cathedra, quam Doctorandus ornabat.

« Ante promotionis actum habita fuit disputatio, cui hic titulus : *Dissertatio Physica inauguralis*, in qua examinatur ac discutitur gravissimum istud Problema : An sonus, quem reddunt muscæ aliaque insecta, per os vel per posteriora egrediatur. Præses priorem sententiam defendendam in se suscepit, quæ tanto ardore ab opponentibus impugnata est, ut periculum esset ne iurgium istud in pugnam cruentam abiret. Et sane ad manus res venisset, nisi Senatus assurgens auctoritate sua æstum hunc temperasset. Durante disputatione, tibiis canebarunt ; nam aderat moderator certaminis tibicen, qui sonis tum placidis, tum citatis, aut demissam iacentemque orationem erigeret, aut sævientem ferociatemque cohiberet. At his et aliis mediis sæpe nihil effectum est. Difficile enim est modum tenere, cum de rebus gravissimis disceptetur. Id quod in nostro orbe sæpe sumus experti, ubi, non minori animorum motu, controversia multiugæ et sinuosæ quæstionis fervet. Verum rixa hæc, quæ cædem ac sanguinem minari visa est, terminatur subito mutuis encomiis ac gratulationibus, haud secus ac in Academiis nostri orbis, ubi secundum consuetudinem passim receptam e cathedrala vitor descendit Præses.

« Finita disputatione, actus creationis procedit his ritibus. Candidatum in medio auditorii positum com-

positis gradibus adeunt tres pedelli<sup>6</sup> sive ministri academicæ, integrumque aquæ frigidæ modium super caput eius effundunt, mox thuris fumo aspergunt ac vomitorium hauriendum porrigunt. Ministerio hoc summa cum veneratione ac capitum inclinatione defuncti, tandem legitime creatum Doctorem pronuntiant. Obstupescens ego ad tot miras et ignotas cærimonias, cercopithecum quendam litteratum, prope me stantem, quid rei esset rogabam. Idem ignorantium meam miseratus : per aquam, ait, thus et vomitorium innui diluendas esse veterum vitiorum maculas ac novos mores, a vulgo distinctos, esse induendos. Hoc auditio, damnavi stuporem meum, et admiratione satur, nihil amplius interrogavi, ne viderer numquam inter honestos vixisse.

« Tandem tympanorum, tibiarum ac tubarum strepitum omnia personabant ; egressusque ex auditorio novus Doctor, prasinatus et cingulo succinctus, comitem habuit totum Heliconem, usque ad domum suam. At, cum plebeiæ tantum sortis esset, non sella vehebatur, sed chiramaxio trahebatur, præcedentibus togatis cursoribus. Actus, uti vulgo fieri solet, terminatus est lauissimis epulis et temulentia convivarum. Nam tantum vini effusum fuit, ut plerique ebrii domum abs traherentur, nec nisi ope medicaminum post aliquot dies convalescere possent, adeo ut in toto isto actu nihil desideraretur quin ab initio ad finem valde sollemnis fuerit, et testor me nullam promotionem magis academicam nec ullum Candidatum magis legitime creatum Doctorem in nostro orbe umquam vidisse. »

Haud dubium quin in tam docta tamque lauta civitate Klimius mox e lecticarii condicione crescere valeat... ☺

1. Textus, qui hic proponuntur, excerpti sunt e libro decimo (cap. 8-26) operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

2. Hor., S., I, 9, 10-II.

3. Pers., III, 87.

4. Iuv., X, 50.

5. Stercolata, cuius nemo non statim intelleget etymologiam, apud nos opportune vocatur « simiorum moneta ».

6. Pedellus : apparitor. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, Leiden-Boston, Brill, 2006, p. 390.

# DE INGENIS CHILIÆ ET ARGENTINÆ QUALIS GENS SINT MAPVCHES

– narrat Jaqueline Caniguan, interprete Samio Jansson, qui etiam proœmium scripsit –

**A**ntea lecricibus et lectoribus Melissæ numero 155 iam narravi de itineribus meis ad Americam Latinam. Tum obiter dixi me tres menses, nempe Maium, Iunium et partim Iulium, anno 2009 in Chilia versatum esse. Iter illuc stipendio modico Fundati Finnici CIMONis (id est, Centrum Internationalis Mobilitatis) auxilio feci cum coniuge mea Pieta. Ipse studentes docebam sermonem Anglicum et Latinum, Pieta Franco-Gallicum. Nam pacto inter CIMONem et UFROnem<sup>1</sup> (studiorum universitas *la Universidad de la Frontera*) magistri et studentes visitantes mittuntur inter studiorum universitates Finniæ et Chiliæ. Nunc anno 2010 idem pactum iam exiit, nam simile fere pactum valet hodie inter universitates studiorum Finniæ et Brasiliæ. UFROnis institutum ad linguas docendas, cui nomen est *la Coordinación de Idiomas*,<sup>2</sup> mihi munus temporarium dedit secundum pactum ad studentes Chilianos docendos. Ibi magistra eruditissima Lillian González Calderón mihi iam ante quam ex Finnia ad Chiliam volavi maximo auxilio erat. Etiam amanuensis eiusdem instituti Yesica Riquelme Flores ibi me multimodis adiuvit. Yesica me efficaciter docebat linguam Castellanam, nam semper inter nos Hispanice loquebamur, quod nimirum mihi imprimis erat difficillimum, sed cum Yesica aliquas post septimanas admodum expedite loqui valebam. Hodie cum ea soleo scribere electrogrammatula Hispanica – scilicet per Vultuum librum (*Facebook*). Yesicam vocavi « la jefa », id est, ductricem – iocose quidem, nam moderator instituti revera est Jorge Navarrete Cartes.<sup>3</sup> Temucone ceterum semper mecum portavi amicum meum intimum, cui nomen est Pingu. Sed quodam die latrones me aggressi sunt, qui omnia mea secum portavissent, nisi patrona mea domina Margarita Alvarado cum custode publico res meas in via a latronibus servavisset. At eheu contigit latronibus, ut mihi parvam peram furarentur, in qua latuit Pingu miserrimus. Postea cum Yesica istos latrones proscripsi et chartis promulgandi, quas ipse passim Temucone fixi in parietes domuum ac truncos arborum, et quidem per nuntios radiophonicos Temucone missos, quam rem curavit Yesica. Etiamsi pollicitus sum pecuniam 20.000 pesonum me esse soluturum ei, qui Pingum mihi recuperavisset, nihil postea de amico meo umquam audivi. Manet in Chilia. Quod Pingum perdidii, hoc me permisum reddidit, nam ille spheniscus erat donum carissimum a Pieta mihi datum. Cum de hac re locutus sum Yesicæ, ea primum creditit me vivum spheniscum mecum passim Temucone portavisse, etiamsi Pingu nonnisi pupulus erat, sed carissimus quidem.

Unus dies in horario meo dedicatus erat ad studia

sermonis Mapudunguni.<sup>4</sup> Nos studentes informavit professor Juan Hector Painequeo Paillán, qui natus est in oppido parvo prope litus Chilianum, Portu Saavedræ. Professor Painequeo officinam suam habet in Facultate Educationis et Studiorum Humaniorum.<sup>5</sup> Omnes Mapudunguni sermonis acroases datae sunt lingua Castellana, quod valde mihi videbatur intellectus vires alto superans in initio, sed postea eius rei bene assuetus sum, etiamsi aliquando accidit, ut haud omnia professoris verba intellexerim. Etiam ipse deinde parvam acroasim feci lingua Castellana de traditione orali in linguis indigenarum, in qua acroasi scilicet exempla traxi ex traditione Tuvana, mihi nimirum valde familiari. Istam autem acroasim vix potuisse facere sine auxilio cuiusdam studentis, cui nomen est Vania Gesell Gesell. Professor Painequeo mihi mutuo tradidit librum Anglice scriptum de hac re et photocopias feci ex paginis, quæ ad rem rettulerunt. Postea sedebam cum Vania in officina parva mea in instituto CODI, ubi laboriose quidem annotationes meas Hispanice reddidimus. Et mirum factum est, nam denique post nescioquot horas evenit, ut acroasis mea eleganter Hispanice scripta esset, quam ob rem gratias maximas ago Vaniæ. Præter Vaniam etiam Yesica *la jefa* scilicet curavit, ut acroasis mea emendata lingua Castellana esset scripta. Ac insuper Vania narravit me posse cognoscere quandam magistram sermonis Castellani, quæ Mapucheana nata est. Et recepi numerum telephonum ac inscriptionem cursus electronici huius magistræ, cui nomen est Jaqueline Caniguan Caniguan.

Infra colloquium percontativum vobis reffero, in quo magistra Jaqueline Caniguan respondit quæstionibus a me positis. Partim Anglice, partim Hispanice interrogavi, et Jaqueline plerumque Hispanice respondit, sed aliquibus etiam verbis Anglicis.

SAMIUS. Incipiamus, si parata es, Jaqueline. Primum de te ipsa interrogo. Ubi habitat?

JAQUELINE. Nata sum in oppido cui nomen est Portus Saavedræ, sed hodie habito Temucone.

SAM. Et propinquai tui hodie ubi habitant?

JAQ. Parentibus orbata sum, sed habeo maritum et filium.

SAM. Et habesne germanos?

JAQ. Nec sorores nec fratres habeo.

SAM. Habesne consobrinos?

JAQ. Habeo quidem consobrinos, sed solum per maritum meum, nam familia eius est magna, habet multos germanos, multos consobrinos, et ego – habeo valde paucos, mea est familia parva.

SAM. Visitasne sære propinquos tuos?

# VITA HODIERNA

JAQ. Portum Saavedræ visitare soleo et ibi scilicet patruos, consobrinos, amitasque mariti, sed mea familia consanguinea est valde parva et intima. Non habeo multos consanguineos præter parentes qui non iam vivunt, sed inter Mapuches, omnes numerantur in eadem familia, ita minime quidem ægre fero parvitatem meæ familiæ – hæc res mihi non est difficilis, quod omnes sumus propinquii inter nos.

SAM. Et quali schola erudita es ?

JAQ. Portu Saavedræ studui in ludo elementario, deinde studia perrexii in gymnasio Temuconis, ac post gymnasium ascripta sum inter discipulos universitatis studiorum *Universidad de la Frontera* (UFRO) Temucone, et in examine magistræ linguarum approbata sum Mexici, habitabam urbem Mexicum tres annos.

SAM. Qualis erat vita ibi ?

JAQ. Vita ibi erat valde attractiva, Mexicum est terra multis coloribus varia, ibi vivunt diversæ gentes primicolarum, quaæ variis linguis loquuntur, sexaginta enim et tribus linguis. Ipsa me applicui ad linguas primicolarum in provincia Chiapatis, tres enim menses studui linguis Tseltalis, Tsotsilis et Maiæ. Studia mea incepit in UFROne Temuconis, ut approbata sim in examine magistrali lingua Hispanicæ, et nunc sum magistra Hispanicæ lingua. Disciplinæ autem linguisticæ studui in urbe Mexico.

SAM. Quid in futuro facere cupis ?

JAQ. Spero fore, ut possim in examine doctricis approbari aut in Hollandia aut in Anglia. Heri enim recepi electrogramma quoddam ex Hollandia. Rogaverunt, qualia studia velim ibi peragere. Gaudeo multum.

SAM. Quando ibis et quomodo pretia itineris solves ?

JAQ. Nescio. Hactenus parum plus factum est præter verborum communicationem inter me et universitatem studiorum quandam Hollandicam.

SAM. Potesne accipere stipendium ad studia doctoralia tua suscipienda ?

JAQ. Possum. In animo habeo petere stipendium rei publicæ Chilianæ. « Beca Chile » est stipendium sollempne Chiliæ, quæ nunc plus centum annos res publica nata est. Hoc stipendium est beneficiarium, quo

præstantur programmata studiorum magistralia et doctoralia. Quando versabar Mexici habui stipendum cuiusdam fundationis. Sed nunc nondum habeo stipendum nec scio, quando possim Hollandiam petere, sed spero fore, ut contingat mihi.

SAM. Et sermo Mapudungunus cui lingua propinquus est ?

JAQ. Multis in investigationibus divulgatis dicunt lingua Mapudungunam esse unicam, velut insulam inter linguas. Alteris autem in investigationibus dicunt, eam non esse unicam, nam e.g. David [Lawrence] Payne existimat eam numerari in familia Andina, ac eadem in familia numeratur etiam lingua Araguaca. Investigatores tamen dissentunt de hac re, qua in familia linguarum Latino-Americanarum sermo Mapudungunus pertineat. Secundum quasdam valde audaces theorias sermo Mapudungunus est frater sermoni Maiano. Sed hoc mihi dictu incredibile esse videtur.

SAM. Dubitas igitur ? Quod sermoni Maiano ipsa stu-

disti, quid censes ? Estne sermo Maianus similis ac Mapudungunus ?

JAQ. Minime, minime quidem. Syntaxis et morphologia inter eos differunt valde. Ego non censeo sermonem Mapudungunum esse propinquum sermoni Maiano, sed ego ipsa puto eum propinquum esse lingua Algonquinæ, qua homines loquuntur Mexici in partibus septentrionalibus. Algonquinam loquentes propinquii videntur esse gentibus, quæ habitant Civitates Americae Unitas. Hæc autem nihil est nisi mea idea valde audax, quam minime probavi, sed libenter velim eam in futuro probare, si modo valeo. Opinio mea originem trahit ex certis rebus, quas animadverti dum Mexici versabar, ubi occasio mihi præbita erat observandi, qualis sermo sit Algonquinus. Sed ut dixi, indicia scientifica nondum habeo ad hoc probandum.

SAM. Quibus rationibus Algonquina et Mapudunguna lingua inter se similes sunt ?

JAQ. Per syntaxin et morphologiam. Præcipue per syntaxin. Sed per prosodium etiam. Tales sermones adhuc continentur in partibus Mexici septentrionalibus. Agitur



Jacqueline Margarita Caniguan Caniguan.



Juan Hector Painequeo Paillán.

enim de linguarum familia Algonquina, in qua numerantur etiam indigenarum Americanorum linguae Siouxica et Cheroceca. Sermones Algonquini videntur reperiri sic in Mexico septentrionali ut in Civitatibus Unitis Americae meridionalibus.

SAM. Quales familiae linguarum in Mexico sunt ? Quia in familia numeratur lingua Maiana ?

JAQ. Est familia Maiana. In Mexico reperiuntur multae familiae linguarum, ut familia Otopamea, familia Iutoazteca, familia Maiana. In familia Otopamea numerantur multae quidem diversae linguae. Haec familia reperitur paulo longius in partibus septentrionalibus. Etiam Iutoazteca in septentrionibus vivunt. Sic Iutonica lingua est maxime septentrionalis ex linguis Americae Mediæ. Et ulterius in septentrionalibus partibus Mexici iam regunt sermones familiae Algonquinæ. Haec sunt meæ ideæ, quas forsan quodam die possim fusius tractare.

SAM. Ubi vivunt Mapuches et eorum propinquoi ?

JAQ. In Chilia vivunt et in Argentina. Lingua Mapudunguna similis est his in regionibus exceptis quibusdam valde parvis differentiis.

SAM. In quibus regionibus Chiliæ et Argentinæ ?

JAQ. In Chiliæ octava regione, ubi sunt Bio Bio, Araucania ac lacus Chiliani et flumina. Tota in Argentinæ zona Neuquena. Chilia enim et Argentina finitima res publicæ sunt ac Mapuches vivunt certa in regione inter Oceanum Pacificum et Atlanticum. Hodie multi Mapuches vivunt Sancti Iacobi Chiliæ. Ibi sustinent linguam Mapudungunam. Verum, nonnisi prima generatio. Sancti enim Iacobi Mapucheana generatio iunior non iam Mapudunguna lingua loquitur, sed Hispanice. Ad primam generationem pertinent, qui illuc migraverunt annis 1940 et postea. Itaque agitur de hominibus iam provectis aetate, nempe 80 quidem annorum vel saltem senioribus 50 annos natis, qui adhuc loquuntur lingua Mapudunguna. Sed generatio iunior iam non.

SAM. Qualis est cultura popularis Mapucheana ? Qualis est musica popularis ?

JAQ. Exempli gratia Hector Painequeo tractat istam



Vania Gesell Gesell.

rem. De traditione fere sola orali multi quidem loquuntur. Sed inter cantiones populares quoddam genus cantandi maximi momenti est, nempe ad omne sollempne sociale cantio quedam designata est, sed ut sincere loquar, non bene cognovi cantiones varias, sed censeo maioris esse momenti significationem quam genus cantionis. Genus cantandi hac in traditione mihi videtur esse fere æquale singulis in cantionibus. Rhythmi valde similes sunt. Agitur de perceptione emotionali, sed quodammodo censeo popularem musicam gentis Mapucheana esse generaliter lentam et invariam. Sed valde quidem mihi placet traditio musicalis gentis meæ.

SAM. Scribisne tua lingua materna ?

JAQ. Ita vero. Scribo ipsa sermone Mapudunguno, et multum quidem, dum e. g. adhibeo colloquendi programmata sicut *chat* et *messenger* per interrete.

SAM. Habes igitur amicos amicasque qui scribunt sermone Mapudunguno ?

JAQ. Multi amici amicæque bene scribunt hoc sermone, et cum iis scribere soleo Mapudunguna lingua.

SAM. Suntne situs interretici Mapudungune designati ?

JAQ. E. g. hic situs *Wallmapuwen*<sup>6</sup> est politicus. Est enim factio politica nostræ gentis.<sup>7</sup>

SAM. Suntne etiam lexica sermonis Mapudunguni ? Velim enim mihi lexicon bonum emere.

JAQ. Mentionem facio hic de lexico Mariæ Catrileo.<sup>8</sup> Istius exemplar potes tibi emere in taberna libraria, cui nomen est « Antarctica ». Eodem in lexico transcriptio phonetica data est singulorum verborum. Auctrix enim est linguista. Et optimum est eius lexicon.

SAM. Suntne etiam libri ad scholam præparati ?

JAQ. Minime infeliciter. Sunt nulli præter lexica et breves fabulas de vita quotidiana. Et huius universitatis studiorum in bibliotheca haud plus quam duos libros Mapudungune scriptos invenire potes, nempe parvum librum de vocabulario et dictionibus utilibus sermonis Mapuduguni, scriptum ab auctore Bryano Harmenlink. Est parvus cæruleus liber. Aptissimus est tibi quidem, qui elementa discere cupis.

SAM. Ubi sermo Mapudungunus docetur ?

**SE BUSCA**

Un Pingüino  
“EL PINGU”



\$20.000

Se pagará a quien lo entregue.  
En la dirección de Recreo 209 – Temuco  
O llamar a los teléfonos 326914 / 9-9431840  
Email : [codi@ufro.cl](mailto:codi@ufro.cl)

... Et miser Pingu.

JAQ. E. g. hac ipsa in universitate studiorum (UFRO) Temucone, et Sancti Iacobi in universitate studiorum Chiliæ. Et Temucone etiam in universitate Catholica studiorum. Inter alia programmata studiorum breves cursus sermonis Mapudunguni additi sunt. Et in universitate studiorum Chiliæ habent officinam studendi singularem paratam eis, qui hunc sermonem cupiunt discere.

SAM. Erudiunturne etiam pueri et puellæ hoc sermone in scholis quibusdam?

JAQ. Eruditio puerorum et puellarum sola lingua Mapudunguna reapse non exsistit in Chilia. Eis nonnisi programmata parata sunt ad Mapucheani populi varios mores culturales investigandos, sed lingua ipsa eis non traditur.

SAM. Quot sunt homines qui loquuntur hoc sermone?

JAQ. Circiter triginta et septem centesimæ partes ex populo Mapucheano.

SAM. Quot sunt homines qui universo numerantur in gente Mapucheana?

JAQ. Census anni 1992 dat numerum 928.000 et paulo plus. Census anni 2002 dat numerum 604.000.

SAM. 300.000 evanuerunt? Ubi sunt?

JAQ. Hoc factum est propter quosdam motus politicos.<sup>9</sup>

SAM. Et hodie quot estis?

JAQ. Credo hodie esse ferme milionem nostrum.

SAM. Et 40 fere centesimae partes loquuntur

Mapudunguno sermone?

JAQ. Dicam 250.000 e nobis loqui expedite. Itaque magni momenti est docere hunc sermonem.

SAM. Minus igitur quam triens ex populo Mapucheano loquitur Mapudunguno sermone, et alii Hispanice?

JAQ. Ita est. Alii re vera loquuntur Hispanice etiam domi.

SAM. Visne aliquid plus addere de gente vel lingua tua?

JAQ. Credo præcipue sciendum esse hoc, quod nos Mapuches nos ippos parum sentimus esse Chilianos, nam omnes nascimur ad vitam scientes nos non esse Chilianos. Ubi autem alii nos vocant Chilianos, hoc nos nullo modo offendit. Sed saltem ego ipsa nata sum in familia mea sciens me ipsam non esse Chilianam, nam puella Mapucheana sum. Itaque ut gens semper sentimus omnes similiter inter nos. Vivimus enim in Chilia, sed parum ippos nos sentimus esse Chilianos. Infeliciter vitæ condiciones sunt valde asperæ nobis, quod tamen alii cives Chiliani haud bene intellegunt.

SAM. Habentne Mapuches problemata socialia?

JAQ. Habent infeliciter. Quod enim nati sumus hic et habitamus hanc terram, cuius cives non iam sentimus nos ippos esse, nam secundum historiam huius terræ, nos in bello regiones nostras perdidimus circiter centum annos ante. Itaque multæ et fortes quidem tensiones politicae gignuntur quotidianie.

SAM. Licetne scribere de tensionibus politicis?

JAQ. Nihil quidem obstat, nam de ista re divulgatum

est permultum informationis. Istæ tensiones politicae sunt quotidianæ ac parum videntur desini. Quotidie enim in regione quadam, quam vocamus partem patriæ nostræ, evenit tumultus politicus cuiusdam generis. Itaque fieri non potest, ut simus plane cæci istis tumultibus velut istos ignoremus. At semper dico sic: nata sum sciens me non esse Chilianam. Ipsa dumtaxat nonnisi casu legali habeo chartam identatis huius rei publicæ, quod quidem miserrime esse eventum censeo.

SAM. Quomodo Mapuches vivere solent?

JAQ. Habemus varios modos vivendi. Mapuches, qui habitant litora, piscatores sunt et collectores. Hac in regione ubi nunc sumus, multi sunt agricolæ et mercatores, et in regione orientali etiam habitant collectores strobilorum arborum, nimirum pini, et insuper scilicet colunt agrum. Et magna pars nostrum munera varia serviundi facit in urbibus. Et recentibus viginti annis iam exsistit grex professionalis indigenarum, qui occasione data facilius quam antea se erudire possunt, quo facto hodie haud parva pars nostrum est, qui officinam habemus in mundo professionali. Sunt enim duo greges, nempe et homines qui sunt profesionales, et illi qui munera domestica faciunt, ut domus mundant et hortos curant.

SAM. Quales professiones academicas habent Mapuches?

JAQ. Plurimi Mapuches academici curriculum magistri accedunt. Sunt igitur multi magistri inter Mapuches. Et insuper multi quidem opus faciunt in curriculis magis terræ vinctis, sic homines qui student agronomiæ vel agriculturæ, ut etiam agritechnici. Credo has profesiones esse bene aptas Mapuchibus. Recentius autem præcipue curricula ingenieria technica studentes fortiter attraxerunt. Plurimi autem ex eruditis nostris sunt magistri. Ruri qui opus faciunt, multi ex iis etiam magistri sunt sed ut dixi plures Mapuches hodie sibi curriculum optant agri technici, ingeniarii vel agronomi. ☩

1. Vide <http://www.ufro.cl/index.html>.

2. Vide <http://dungun.ufro.cl/~codi/index.html>.

3. Vide [http://dungun.ufro.cl/~codi/academicos\\_nm.html](http://dungun.ufro.cl/~codi/academicos_nm.html).

4. Adhibeo hic adiectivum Latinizatum sic: Mapudungunus, -a, -um. Etiam sumo gentis nomen Mapuches, quæ Hispana forma est sermoni Latino valde apta. Ista verba sunt sermonis indigeni, Mapudungun. « Mapu » significat terram, « dungun » linguam et « che » gentem.

5. Vide <http://educacionyhumanidades.ufro.cl/>.

6. Vide <http://www.wallmapuwen.cl/>.

7. Mapudungune scriptos situs non repperi, sed hic optimus est variis linguis redactus: <http://www.mapuche-nation.org/>.

8. María Catrileo (1995). *Diccionario lingüístico-etnográfico de la lengua mapuche. Mapudungun-Español-English*, Santiago: Andrés Bello.

9. Hoc partim explicatur hac re, quod multi indigenæ e Chilia emigraverunt – præcipue ad Argentinam.

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XII)

## ODIVM CRESCIT INTER ORIENTEM ET OCCIDENTEM

– *scripsit Gaius Licoppe* –

**B**asilius I Macedo (867-886), imperator solus factus, primus est magni momenti stirpis Macedonicæ. Imperii sollers prudensque est administrator ; ærarium compleat. Pergit quoque operam dare ut leges fiant magis dilucidæ.

Cum putet societatem papæ Occidentisque imperatoris sibi usui fore, eis morem gerere statuit et Photium deponit. Anno autem 869 Constantinopoli habetur octavum concilium œcumenicum, cui præsident papæ legati. Præcipiuus scopus est Photium condemnare, qui anathematizatur. De regime tamen novæ ecclesiæ Bulgaricæ papæ legatis satisfacere negat restitus patriarcha Ignatius ; hæc vero ecclesia mox fiet autonoma.

Cyrillus et Methodius, Photio deposito, iam nesciunt cui ordinandi sint novi sacerdotes in Moravia ; quare ad papam Hadrianum II (867-872) se conferunt, qui Cyrrillum et Methodium sacrat episcopos. Eius successor papa Iohannes VIII (872-882) anno 880 creat provinciam ecclesiasticam Magnæ Moraviæ, cuius Methodius fit archiepiscopus ; etiam Vetus Slavicum agnoscit ut linguam liturgicam præter Hebraicam, Latinam et Græcam.

Non diu post condemnationem, Photius apud Basiliū I fit gratiosus eiusque liberorum creatur præceptor. Ignatio anno 877 vita functo, Photius iterum fit patriarcha. De hac restitutione agitur in novo concilio Constantinopoli anno 879 habitu. Papa Iohannes VIII tunc schisma vitare vult ; quare eius legati Photium agnoscunt ut legitimum patriarcham. Photius tamen vix quicquam concedit : veniam pro præteritis actis non petit, « filioque » non additur in « credo ». Hæ conclusiones, quæ ægre feruntur in Occidente, Romæ repudiabuntur undecimo saeculo, concilio vocato « pseudo-synodo Photiana » ; soli ergo Orientales hoc concilium adhuc habent ut verum octavum œcumenicum, neglecto præcedente.

In rebus bellicis excellit Basilius I ; nam Arabes ex Asia Minore firmiter expellit et Italiam meridionalem in suam dicionem iterum redigit ; Tarentum anno 880 expugnat.

Basilius I duos filios throno consociat, Leonem anno 870 et Alexandrum anno 879.

Leo VI, Sapiens dictus (886-912), a Photio bene eruditus, filius est Eudoxiæ Ingerinæ et verisimiliter Michaelis III, cuius amica fuit antequam ipse eam Basilio nuptum collocavit. Hac fortasse de causa Leo semper despectui fuit Basilio.

Leo VI una regnare debet cum fratre Alejandro, qui tamen futiles res solum curat.

Leo Photium patriarchatu exxit ac Stephanum, fratrem sedecim annos natum, patriarcham nominat.

Anno 899 magnam synodum convocat ut bona consuetudo restituatur cum Ecclesia Occidentali.

Opus iuridicum a Basilio I inceptum et ab eodem perfectum vocatur *Basilika* ; est forma Græca, melius ordinatum et completum recentioribus legibus Iustini-ani Codicis ; additur breviarium *Eisagoge* vocatum.

In rebus bellicis Leo minus felix est quam Basilius I. Siciliam totam anno 902 perdit ; Arabes Thessalonicanam anno 904 etiam expugnant. Russis Kiovienibus Constantinopolin obsidentibus, fœdus commerciale eis concedere debet. Vincitur a Bulgaris, qui iam diu bellum gesserunt contra Byzantinos, sed nunc ad fastigium potentia pervenient, duce Simeone I.

Simeon I (893-927), filius Boris I, qui christianismum in Bulgaria introduxit, ad cursum ecclesiasticum imprimis destinatus, decem annos educatus eruditusque est Constantinopoli. Fortuito successor Boris I factus, extentum regnum gubernat, quod patet a Ponto Euxino ad mare Ægeum et Adriaticum. Bulgaria ita dicit ad fastigium potentia splendorisque, ut Cæsar titulus ei concedatur, ab Orientalibus anno 913 et ab Occidentalibus anno 926. Eius aula est magnifica ac litteræ slavonicæ tunc maxime florent. Efficit quoque ut Ecclesia Bulgarica autonoma fiat propriumque patriarcham habeat.

Simeon I bellum indicit Byzantinis, dum Leo VI in Asia Minore tenetur bello Arabico. Iam Constantinopolin appropinquat, vix obstantibus Byzantinis, cum eum a tergo aggrediuntur novi actores in scena Balcanica, Magyar vocati. Profligatis catervis Magyar, Simeon iterum Constantinopolin petit et obsidet. Ut recedat, Leo VI cogit tributum annum solvere et magnum agrum Ponto Euxino adiacentem concedere.

Leo VI non minus quam quattuor uxores ordine habuit, id quod tunc temporis ab Ecclesia non permititur ; licet enim alteram uxorem ducere, si prima filium non peperit, sed tertiam et eo magis quartam ducere iudicatur fornicatio. Pro tertia licentiam peculiam dedit patriarcha ; ea sine filio moritur. Leo tunc commercium habet cum Zoe Carbonopsina, cuius tertius natus tandem est filius, Constantinus vocatus ; eam uxorem secreto dicit et deinde imperatricem proclamat, cum Ecclesia iratissima licentiam neget matrimonii. Clericorum dissensionibus astute utens, imperator e « Rixa de Tetragamia » evadit victor.

Leo VI anno 912 vita functo, eius filius Constantinus VII Porphyrogenetus (913-920) in thronum succedit. Cum septem tantum annos natus sit, eius patruus Alexander, iam anno 879 throno consociatus, gubernat. Is tributum Bulgaris diutius solvere non vult. Simeon I tum bellum parat, sed antequam Constantinopolin

aggrederetur Alexander moritur. Tunc consilium regentum, cui præsidet patriarcha Nicolaus, habenas tenet.

Hac regiminis perturbatione favente, Simeon I anno 913 Constantinopolin iterum obsidet. Nicolaus resistere valet. Bulgari recedunt tribus condicionibus: ut tributum solvatur, ut Constantinus VII unam ex Simeonis I filiabus uxorem ducat atque ut Simeon Constantinopoli in ipso palatio Blachernarum agnoscatur ut Cæsar.

Paulo post imperatrix Zoe regentes destituit; ipsa nunc tenet habenas. Statim negat titulum Cæsariss et matrimonii promissum. Itaque Simeon bellum iterum init. Zoe multis donis ei suadet ne Constantinopolin petat. Bellum tamen non est finitum; Byzantini magnum exercitum bis ducunt ad Bulgaros, at cladem accipiunt apud oppidum Anchialos (917) et statim post apud vicum Katasyrtai.

In Italiam mahumetani, qui ibi Saraceni<sup>1</sup> vocantur, vastatorias incursiones faciunt iam a posteriore dimidia parte undecimi sæculi; Caeta, quæ cum Neapoli et Amalfia adhuc pertinet ad orbem Byzantium, diripiatur anno 846; eodem anno idem accidit Romæ basilicis sancti Petri et sancti Pauli sanctique Pauli extra muros; anno 883 monasterium Montis Casini deletur. Saraceni non solum breves incursions faciunt, sed coloniam deducunt apud Minternas; christianorum nobilium discordiis utentes, pactum faciunt cum nonnullis eorum.

Tunc papa Iohannes X (914-928) belli societatem facere valet cum Langobardorum rege, Berengerio I Foroiuliensi, et Byzantinis; eorum viribus terrestribus et navalibus Saraceni oppugnantur, qui magnam cladem anno 915 accipiunt ad fluvium Gariglianum et Italiam relinquere coguntur. Anno 924 papa Iohannes X Berengerium sacrat Imperatorem Occidentis; hoc titulo, qui pro Carolo Magno creatus est, ille ornatur ultimus.

Res prosperæ in Italia non eiusdem momenti sunt quam clades a Bulgaris bis acceptæ. Quare anno 919 Zoe cogitur in monasterium confugere, dum navarchus regimine potitur et imperator consociatus fit, Romanus I Lecapenus (920-944) vocatus; filiam Helenam uxorem dat Constantino VII. Hac regiminis mutatione non impeditur quin Simeon I bellum contra Byzantinos iterum gerat; semper enim sperat fore ut ipse in throno Constantinopolitano sedeat. Irrumpit in Thraciam, quin etiam in Thessaliam atque anno 921 castra ponit apud Constantinopolin. Cum urbem non valeat expugnare, conatur pactum facere cum califa Fatimida (Ægypto), cuius classe eget; Byzantini tamen hoc impediunt præcipue Arabes donis mitigando. Anno 924 Simeon I patriarcham et imperatorem Constantinopoli convenit. Pax tandem pangitur; tributum vero Byzantinis manet solvendum. Simeon I anno 927 moritur.

Romanus I Lacapenus tres filios throno consociat, qui filii anno 944 patrem in monasterium relegant ac

paulo post ipsi concitatione populari in monasterium etiam relegantur. Abhinc Constantinus VII solus gubernat. Est vir eruditus et bonus pictor; tria opera componit, quibus titulus *De cærimonis aulæ Byzantinæ, De administrando imperio et De thematibus* (i.e. de provinciis Imperii). Curat etiam ut colligantur narrationes historicæ (813-961), quæ divulgantur *Theophanes Continuatus* intitulatae; sequuntur enim chronica Theophanis Confessoris. In lucem quoque edenda curat *Excerpta*, quæ sunt anthologica veterum auctorum; multi loci operum perditorum sic servati sunt. Eius iussu componuntur *Geoponica* (de agricultura), *Latrica* (de medicina) et *Strategica* (de arte militari).

Bellum contra Arabes eo felicius gerit, quod imperium Abbassidarum magis magisque inclinatur bellis intestinis et divisionibus. Anno 957 eorum classis igne liquido deletur atque Iohannes Tzimiskes agros in Oriente perditos recuperat.

Anno 958 Olga, Russa principissa regni Kioviensis, Constantinopoli baptizatur et christianum nomen accipit, Helenam. Inde incohatur conversio Russorum.

Romanus II Porphyrogenitus (959-963) patri succedit. Eius altera uxor, Theophania, sibi auctoritatem comparat apud Romanum.

Sine mora exercitum in Cretam exponere parat. Creta enim, iam fere sesquisæculum ab Arabibus occupata, statio navalis facta est piratarum, qui litora et portus Imperii crudeliter populantur. Iam quinque Byzantini conati sunt insulam recuperare, incassum. Nunc Nicephorus Phocas Candiam<sup>2</sup> expugnat annoque 961 Cretam vacuefacit mahumetanis. Pro quibus rebus gestis triumphum Constantinopoli celebrat; eius popularitas est maxima.

Byzantini etiam bellum feliciter gerunt in Syria et Cilicia.

Romanus necopinato moritur anno 963; dicitur a Theophania veneno interfectus esse, sine validis argumentis.

Nicephorus II Phocas (963-969) imperator fit, iuvantibus Theophania et patriarcha; coronatur una cum filiis Theophaniae, quam uxorem dicit.

Nicephorus in Oriente feliciter bellare pergit. In Mesopotamiam progreditur usque Nisibem. Fere omnes Syriæ arces expugnantur; portus Laodicea se dedit. In itinere magnam meschitam incendio delet et oppida diripit. Constantinopolin redit cum præda magna et multis captivis. Eius legati Antiochiam obsident et anno 969 expugnant.

Minus feliciter res geruntur in Occidente. Non enim valet Siciliam recuperare et resistere debet Ottoni I, Germaniæ regi novoque Occidentis imperatori, qui Byzantinas possessiones in Italia oppugnat.

Nicephorus ærarium severe regit, largitiones aulæ minuit, finem facit immunitatis cleri; vetat nova monasteria condi. Quibus de causis populus Constantinopolitanus ei fit infestus. Senescente

Nicephoro, qui numquam fuit pulcher, Theophania eiusque amasius, Iohannes Tzimiskes, coniurationem faciunt, qua Imperator trucidetur inter somnum.

Illius ætatis mirum habemus testem, Liutprandum, Cremonensem episcopum. Quamquam lingua Græca vix colitur in Occidente Medii Ævi temporibus, non desunt homines, qui Græce sciant, inter quos numeratur Liutprandus natione Langobardus. Qui propter hanc scientiam bis mittitur legatus ad aulam Constantinopolitanam. Primam legationem narrat in opere c.t. *Antapodosis*; tunc Berengerius II, Berengii I nepos, qui rex Italiæ fieri vult, hunc titulum petit ab imperatore Byzantino; itaque ad Nicephorum II Phocam mittit Liutprandum. Legatus Constantinopoli magnifice tractatur; splendidam urbem et aulæ lauitias admiratur; imperator Berengerio II sine difficultate satisfacit.

Res aliter se habent in altera legatione, quam anno 968 pro Othono I, Germaniæ rege et Occidentis imperatore, suscipit.

Imperium Occidentis a Carolo Magno creatum iam diu iacet divisum; titulus « Augustus Romanorum Imperator » omni potentia carens ultimo tribuitur Berengerio I, regi Langobardorum, ut supra dictum est; imperium Carolingorum vacat.



Otoni se dedit Berengerius II.

Ootto non est Francus, ut Carolingi, sed Saxo, filius Saxonie ducis Henrici Aucipis. Anno 935 rex Germaniæ Aquisgrani electus, Otto magnam famam consequitur anno 955, cum apud oppidum *Lechfeld* profligat nomades Hungaros (i.e. Magyar), qui prædatorias irruptiones faciunt usque in Alsatiam, Burgundiam necnon Provinciam.

Papa Iohannes XII (955-964), in cuius territorium invadit Berengerius II, Italiæ rex, auxilium petit ab Ottone; is ergo Berengerium II fugat et anno 962 Romam intrat. Imperium Occidentis resuscitat; Ottonenm enim papa consecrat Imperatorem Romanorum eique Donatio Pipini confirmatur Privilegio Ottoniano. Ottonis tamen imperialis potestas non diuturnior erit,

quam ea Caroli Magni; nam caret administratione; præsertim, Germanorum mores nondum aptati sunt ad servandam imperii stabilitatem.

Tanta adhuc est præstantia Imperii Orientalis, ut Otto ab imperatore Constantinopolitano velit agnosciri. Ad eum tum mittit Liutprandum, qui rem narrat in opere c.t. *Legatio ad imperatorem Constantinopolitanum Nicephorum Phocam*. Constantinopoli vero res mutatae sunt a tempore Caroli Magni: cum imperium Byzantium magnam recuperaverit potentiam, tradito more Nicephorus Ottonem ut æqualem agnosceret non vult; quare Liutprandus pessime accipitur. Legamus quid scripserit ad suos « Ottones Romanorum invictissimos imperatores augustos »:

« Pridie Nonas Iunii Constantinopolin venimus, et ad contumeliam vestram turpiter suscepti, graviter turpiterque sumus tractati; palatio quidem satis magno et aperto, quod nec frigus arceret, sicut nec calorem repelleret, inclusi sumus; armati milites appositi sunt custodes, qui meis omnibus exitum, ceteris prohiberent ingressum. (...) Ante portam Caream venimus, et usque ad undecimam horam cum equis, non modica pluvia, exspectavimus. Undecima vero hora non ratus Nicephorus nos dignos esse tam ornatos vestra misericordia equitare, venire iussit, et usque in præfatam domum marmoream, invisam, inaquosam, patulam, sumus deducti. (...) Accessit ad calamitatem nostram, quod Græcorum vinum ob picis, tædæ, gypsi commixtionem nobis impotabile fuit. (...) Ipse [Nicephorus] vos non imperatorem, id est basileu, sua lingua, sed ob indignationem ῥῆγα, is est regem, nostra vocabat. »

Liutprandus Nicephorum etiam describit « hominem satis monstruosum, pygmæum, capite pingue, atque oculorum parvitate talpinum, barba curta, lata, spissa et semicana fœdatum, cervice digitali turpatum, prolixitate et densitate comarum satis hyopam [i.e. hirtum], colore Æthiopem, cui per medium nolis occurrere noctem, ventre extensus, natibus siccum » et ita porro per multas lineas.

« Hac eadem die [Nicephorus] convivam me sibi esse iussit. Non ratus autem me dignum esse cuiquam suorum præponi procerum, quintus decimus ab eo absque gausape sedi. (...) Multa super potentia vestra, multa super regnis et militibus, me rogavit. Cui cum consequenter et vere responderem: 'Mentiris!' ait, 'domini tui milites equitandi ignari, pedestris pugnæ sunt inscii, scutorum magnitudo, loriarum gravitudo, ensium longitudo, galearumque pondus neutra parte eos pugnare sinit', ac subridens: 'Impedit, inquit, eos et gastrimargia, hoc est ventris ingluvies; quorum Deus venter est; quorum audacia, crapula; fortitudo, ebrietas; iejunium, dissolutio; favor, sobrietas. Nec est in mari domino tuo classium numerus. Navigantium fortitudo mihi soli inest, qui eum classibus aggrediar, bello maritimas eius civitates demiliar, et quæ fluminibus sunt vicina redigam in favillam. (...) »

Vos non Romani, sed Longobardi estis ! »

His contumeliosis verbis Liutprandus respondit hæc : « Romulum fratricidam, ex quo et Romani dicti sunt, porniogenitum, hoc est adulterio natum, chronographia innotuit ; asylumque sibi fecisse, in quo alieni æris debitores, fugitivos servos, homicidas, ac pro reatibus suis morte dignos suscepit, multitudinemque quandam talium sibi ascivit, quos Romanos appellavit ; ex qua nobilitate propagati sunt ipsi, quos vos kosmocratores, id est imperatores, appellatis ; quos nos, Langobardi, scilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Bagoarii, Suevi, Burgundiones, tanto deditnamur, ut inimicos nostros commoti nil aliud contumeliarum, nisi : Romane ! dicamus, hoc solo, id est Romanorum nomine, quicquid ignobilitatis, quicquid timiditatis, quicquid avaritiae, quicquid luxuriæ, quicquid menda-

cii, immo quicquid vitiorum est, comprehendentes. (...) Quales vos estis quamve pugnaces nos simus, bella proxima demonstrabunt. »

Ex his verbis patet quanto despectui Orientalibus fuerint Occidentales et vice versa. Liutprandi narratio late diffusa non parum contulit ad augendum odium Occidentalium erga Imperium Byzantinum. ☩

---

1. Saraceni vocantur in Occidente mahometani, qui iam non solum ex Arabibus constant, sed etiam e variis gentibus ad Islam conversis. Saraceni antiquitus vocabantur certæ gentes Arabiae Felicis.

2. Candia est urbs ab Arabibus anno 824 condita ; diu hoc nomine et urbs et tota Creta vocatae sunt. Postea nomen Græcum accipit, Heraklion.

## DE NOVIS LIBRIS

Maija-Leena KALLELA, Juhani SARSILA, *Hellenes illi eximii. Anecdota antiqua Græca*, Jyväskylä, Jyväskylän Yliopiston paino, 2010, 141 p.

Huic libro, quippe qui sit trilinguis, re vera sunt tres tituli, id est, præter Latinum : *Ne mainiot Helleenit. Tarinoita antiikin Kreikasta et The good old Hellenes. Tales from Ancient Greece*. Auctores enim has historiolas omnibus destinant : et Finnis Latine nescientibus, et aliis antiquati studiosis Angliceque saltem scientibus, et eis, qui gaudium et utilitatem sumunt e lectione Latina. Librum evolventes nobis videmur veteres amicos iterum convenire : adsunt Epaminondas, Thales, Anaxagoras, Gyges, Euripides, Thrasybulus, Socrates, Leonidas... Editio est vere lauta ; historiolæ lepidæ animum movent et multa docent, imprimis humanitatem præter sæcula semper manere eandem ; Latinitas perpolita, sed non nimis difficilis, omnibus est apta, etiam adulescentibus. Brevi dictum : ecce pulchrum donum Natalicum !

ISBN 978-952-92-7777-3

Axel SCHÖNBERGER, *Priscians Darstellung der lateinischen Syntax (I). Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung des 17. Buches der Institutiones Grammaticæ*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2010, 651 p.

Hic novus liber seriem auget in nostris fasciculis iam plus semel laudatam, qua Axelius Schönberger grammaticos Latinos suscepit iterum publicandos, ornatos Theodisca translatione permultisque adnotationibus. Ecce ergo Prisciani liber septimus decimus « de ordinatione sive constructione dictionum, quam Græci σύνταξιν vocant », similiter docte editus cum commentario, bibliographia et, tamquam appendice, anastatica redimpressione editionis ab H. Keil undevicesimo sæculo factæ in præclaro opere c.t. *Grammatici Latini*. Cuius lectio frugifer est redditus ad fontes. Addamus oportet hoc antiquæ grammaticæ monumentum numquam antea translatum esse in quemquam sermonem hodiernum.

ISBN 978-3-936132-10-6



# *In hoc fasciculo !*

*De itinere Tunetano (II) [F. Deraedt] p. 1  
Duo loci Euangeli Natalicij in dubium vocandi [E. Palmén] p. 5  
Nicolai Klimii iter subterraneum (VI) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 7  
De indigenis Chilie et Argentinæ [S. Jansson] p. 9  
De Romano imperio orientali (XII) [G. Licoppe] p. 13  
Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumenti : Africa Romana –  
opus musivum Tuneti servatum in museo de Bardo.*

---

## *Insula Latina Neolovaniensis nova Latinitatis vivæ sedes*

In ædibus « Insula Latina » nuncupatis maximo studio colitur Latinitas simul cum urbanitate necnon hospitalitate. Itaque auctores huius incepti, alumni studiorum universitatis Neolovaniensis enthusiasmo pleni, ad Insulam suam Latinam omnes invitant, qui litteras Latinas et humanitatem colere velint.

In Satureiæ via, ædificio V, diæta CII, Neolovani.

---

